

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 24. Oratio ad quinque vulnera Christi

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

perage , de quo supra §. 22. Nōnō , descendē in centrum terrae , percurre sinus ejus , infernum , Limbum , Purgatorium ; vide quid ibi agatur , timorem concipe & hororem de peccatis & statue ab eis abstinere.

§. X X I V . *Oratio ad quinque vulnera Christi*

Salue vulnus benedictum dexteræ manus Domini mei Jesu Christi Crucifixi , pro me & omnium hominum salute roseo stillans cruore. Protege me , Domine , dextera tua , ne quando dicat inimicus meus , Prævaluī adversus eum , quem tu sanguine tuo redemisti. Deducat me mirabiliter dextera tua , ut omnes cogitationes meas & sermones mei semper recta tendant & dirigarit ad te , ut potest scopum & finem meum. Da mihi gestare semper ardenter lampadem , oleo charitatis instructam , ut dignus habear , qui tecum ad cœlestes nuptias intromittar ; ut cum seculum judicaturus adveneris , ad dexteram tuam constitutus audire merear cum electis tuis : Venite benedicti Patris mei ; percipite Regnum vobis paratum à constitutione mundi. Amen.

i i. Salve beatificum vulnus sinistræ manū Salvatoris mei Jesu Christi , pretiosissimo ejus sanguine purpuratum. Manu tua forti & brachio excelsō ad nihilum redige , Domine , quidquid sinistrum & perversum moliuitur adversum me , qui cogitant mihi mala. Comprime vires hostium , qui querunt animam meam. Tuere me & adesto mihi in omnibus adversitatibus & tribulationibus meis. Dic animæ meæ , Salus tua ego sum ; ut de manu inimicorum meorum liberatus , in sanctitate & justitia serviam tibi omnibus diebus vitæ meæ. Amen.

i i i. Salve gratiosum vulnus dextri pedis Domini mei Jesu Christi , sanguine Agni immaculati conspersum. Perfice , Domine , pedes meos tanquam cervorum , ut indefesso cursu per viam mandatorum tuorum incedam , eaque semper exquiram , quæ placita sunt tuæ divinæ voluntati. Dirige gressus meos in virtutem , donec videam Deum

K ij

Deorum in Sion. Lucerna pedibus meis sit verbum tuum
& lumen semitis meis, ut etiam proximis lucis exempla
præbeam, quatenus tu Deus meus in omnibus & ante
omnia glorificeris, nunc & in æternum. Amen.

i v. Salve venerabile vulnus sinistri pedis Christi san-
guine madefactum. Evelle, Domine, pedes meos à la-
queo, quem statuerunt mihi inimici mei. Custodi ani-
mam meam à lapsu, ne fiam hostibus meis in prædam.
Non veniat mihi pes superbiæ, sed in simplicitate cor-
dis mei incedam coram te omni tempore. Edoce me vias
tuas, ut sciam quid acceptum sit coram te & opere com-
pleam universa, quæ præcepisti mihi. Amen.

v. Salve vulnus saluberrimum cordis Jesu Christi cru-
deli cuspidi inflictum, è quo sanguis & aqua copiose
emanarunt in ablutionem peccatorum nostrorum. Vulne-
ra cor meum, Domine, amoris tui jacula, ut te in omni-
bus & super omnia colat, teque & proximum propter te
ferventi semper amore prosequatur. Munda me purissimo
sanguine & aqua salutari, ut ab omni labe emundatus, te
Deum Salvatorem meum, quem soli mundo corde vide-
bunt, in omni æternitate merear contemplari. Amen.

§. XXV. *De Communione spirituali.*

SAncti Patres usum hujus communionis commenda-
runt, ut cum quis percipere Corpus Christi sacra-
mentiter non potest, saltem illud spiritualiter percipiatur;
voto nimirum ac desiderio, & fide viva, quæ per di-
lectionem operatur, de qua dicit Augustinus: *Crede, &*
manducasti. Hæc autem communio fieri potest, & cum
quis Missæ interest, & extra Missam, atque Ecclesiam,
potestque repeti multoties in die. Cum Missam audis-
sis procedes. Post orationem Dominicam convertes ani-
mum tuum hac intentione ad Dominum, tuamque fragi-
litatem & defectus, Deique præsentis majestatem me-
ditaberis. Deinde Agnus Dei ter repetes cum Sacerdote,
dolorem de peccatis tuis corde contrito excitabis, & pa-